

imponunt præcedentibus, fessos duces ad terga recipiunt. Ciconia nidos eosdem repetunt, genitricum senectam inuicem educant. Olorum morte narratur flebilis cantus, falso, ut arbitror, aliquot experimentis. Idem mutua carne vescuntur inter se. Verum hæc comantium per maria terrasque; peregrinatio non patitur differri minores quoque, quibus est natura similis: ut cunq; enim supradictas magnitudo & vires corporum imitare videri possunt. Coturnices ante etiam semper adueniunt quam grues, parua avis, & cum ad nos venit, terrestris potius quam sublimis. Aduolant & hæc simili modo non sine periculo nauigantium, cum appropinquauere terris. Quippe velis sæpe insidit, et hoc semper noctu, merguntque nauigia. Iter est his per hospitia certa. Austro non volant, humido scilicet & grauiore vento. Aura tamen vehi uolunt, propter pondus corporum, viresque; paruas. Hinc volantium illa conuestio labore expressa. Aquilone ergo maxime volant ortygometra duce. Primam earum terram appropinquantem accipiter rapit. Semper hinc remeantes comitatum sollicitant, abeuntque una persuasæ glottis & otis & cycchramus. Glottis prælongam exerit linguam, unde ei nomen. Hanc initio blandita peregrinatione auide profectam, penitentia in volatu cum labore scilicet subit. reuerti incomitatum piget, & sequi: nec unquam plus uno die pergit, in proximo hospitio deserit. verum inuenitur alia, antecedente anno relicta: simili modo in singulos dies. Cycchramus perseverantior festinat etiam peruenire ad expetitas sibi terras: itaque noctu is eas excitat, admonetque; itineris. Otis bubone minor est, noctuis maior, auribus plumis eminentibus, unde & nomen illi: quidam Latine asonem vocant: imitatrix alias avis ac parasita, & quodam genere saltatrix. capitur haud difficulter ut noctuæ, intenta in aliquo circumeunte alio. Quod si ventus agmen aduerso flatu cæperit inhibere, pondusculis lapidum apprehensis, aut gutture harena repleto, stabilite volant. Coturnicibus veneni semen gratissimus cibus: quam ob causam eas damnauere mensæ simulque; comitalem propter morbum despui suetum, quem solæ animalium sentiunt præter hominem.

De hirundinibus, merulis, turdis & sturnis, turturibus & palumbis. CAP. XXIII.

**A**beunt & hirundines hybernis mensibus, sola carne vescens avis ex ijs, quæ aduncos vngues non habent: sed in vicina abeunt, apricos secuta montium recessus: inuentaque; iam sunt ibi nudæ atque; deplumes. Thebarum tecta subire negantur, quoniam vrbs illa sæpius capta sit: nec Bizæ in Thracia propter scelera Terei. Cecina Volaterranus equestris ordinis quadrigarum dominus, comprehensas in urbem secum auferens victoriæ nuntias amicis mittebat, in eundem nidum remeantes illito victoriæ colore. Tradit & Fabius Pictor in annalibus suis, cum obsideretur præsidium Romanum à Ligustinis, hirundinem à pullis ad se allatam, ut lino ad pedem eius

alligato nodis significaret, quoto die adueniente auxilio eruptio fieri deberet. Abeunt & merula turdi que & sturni, simili modo in vicina. Sed hi plumam non amittunt, nec occultantur, nisi sæpe ibi, quo hybernium pabulum petunt. itaque; in Germania hyeme maxime turdi cernuntur. Verius turtur occultatur, pennasque; amittit. Abeunt & palumbes, quoniam & in ijs incertum. Sturnorum generi proprium cateruatim volare, & quodam pilæ orbe circumagi, omnibus in medium agmen tendentibus. Volucrum soli hirundini flexuosi volatus, velox celeritas, quibus ex causis neque rapinæ caterarum alitum obnoxia est. Eadem demum sola auium non nisi in volatu pascitur.

Quæ auium perennes, quæ semestres, quæ trimestres. CAP. XXV.

**T**emporum magna differentia auibus. Perennes ut columbæ, semestres ut hirundines, trimestres ut turdi & turtures, & quæ cum sætum eduxere, abeunt, ut galguli, & pupæ.

De auibus mira. CAP. XXVI.

**A**vtiores sunt, omnibus annis aduolare Ilium ex Aethiopia aues, & confluere ad Memnonis tumulum, quas ob id Memnonidas vocant. Hoc idem quinto quoque; anno facere eas in Aethiopia circa regiã Memnonis, exploratum sibi Cremutius tradit. Simili modo pugnant Meleagrides in Bæotia. Africæ hoc est gallinarum genus, gibberum, varijs sparsum plumis, quæ nouissima sunt peregrinarum auium in mensas receptæ propter ingratum virus. Verum Meleagri tumulus nobiles eas fecit.

De auibus seleucidibus. CAP. XXVII.

**S**eleucides aues vocantur, quarum aduentum ab Ione precibus impetrant Casij montis incolæ, fruges eorum locustis vastantibus. Nec unde veniant, quoue abeant compertum, nunquam conspectis nisi cum præsidio earum indigetur.

De ibi. CAP. XXVIII.

**I**nuocant & Aegyptij ibes suas contra serpentium aduentum: & Elei Myiagron deum, muscarum multitudine pestilentiam adferente: quæ protinus intereunt qua litatum est illi die.

Quæ aues in quibus locis non sunt, & quæ mutant colorem & vocem, & de Iuscinijs. CAP. XXIX.

**S**ed in secessu auium & noctuæ paucis diebus late re traduntur, quarum genus in Creta insula non est: etiam si qua inuecta sit emoritur. Nam hæc quoque; mira naturæ differentia: alia alijs locis negat, tanquam genera frugum fruticumque, sic & animalium: non nasci, translaticium: inuecta emori, mirum. Quid est illud unius generis saluti aduersum, quæue ista naturæ inuidia? aut qui terrarum dicati auibus termini? Rhodus aquilam non habet. Transpadana Italia iuxta Alpes Larium lacum appellat, amaranthi arbusto agro ad quem ciconia non permeant: sicuti nec octauum circa lapidem ab eo, immensa alioqui finitimo Insuubrium

l iij tractu